



DE SARZA PARILIA.

RADIX quædam nuper, tenuis, ac subcrocei coloris, ex India aduehitur, quam ego omnium Medici primus vidi. Erat autem non absimilis liquiritiæ tenuissimæ, rugosa scilicet, (nam ea talis, cum siccat, euadit) & calore inter croceum & cireneum: sed gustus subamarus erat: odor vix sentitur. Vncia vna in l. b. ij. aquæ, colorem addit vini rubri turbidioris, odorem quasi grauem, amaritudinem non leuem, & summè prouocat sudorem. Partium est tenuium crassarumque. Amaritudo in terreo constat. Calida in fine primi ordinis, sicca in secundo. Epota cum tenui victu, scilicet, pane bis cocto, atque passulis, per dies 40. Gallicam luem plus iuuat quàm Cina, aut lignum quod sanctum vocatur. Expedit autem vt sic etiam optuletur his qui arthritide laborant, & vlcibus prauis, & his qui ob pituitosum humorem laborant œdematibus, aut morbis trans hepar. In obstructionibus autem concauæ partis iecoris, & ventriculi mala coctione, non auderem hoc tentare, nisi forsitan victus tenuitas nos à periculo tutos redderet. Quod etiam iecur confirmet, quodque lienem extenuet, quod incipientem elephantiasim curare possit, & hoc verisimile est. Dantur decocti vnciæ sex in singulos dies summo manè, id est, horâ diei secundâ; tantundem horis ante cœnam tribus, tum cum cibo quantum volet. Permittitur autem sudare contactus pannis ab assumpto potu: verum vt sudauerit, liberior est quàm in assumptione Indici ligni: neque enim prohibetur, quin in solita prædeat exercitia, nisi frigoris metu, vnde contactus pannis esse debet, & vitare infausta tempora pluuiarum, ventorum, & frigo-

ris. Meminerit eius quod scripsit Hippocrates: Vbi fames, laborandum non est: atque similiter cauendum, vt inquit Gelenus, à sectione venæ: sic & à Venereis, ac curis nimis: singulis tamen decem diebus purgate conueniet corpus, cum catapotis quæ lectos humores & crassas feces expellere possint: quales ex Aloes colocynthida & Elleboro componuntur. Alij præbent siliquam Indam cum diacatholice, quod vt minus vtile est, ita magis tutum. Habet autem præcellentem inter sui generis medicamenta vim hæc radix, in emendandis capitis ac cerebri vitiis: seu ob tenuitatem, seu ob proprietatem quandam. Et quanquam hæc ita sint, candide lector, non tamen tantæ victus tenuitati seorsum præsertim purgationibus frequenter adhibitis, parum ad curandos consimiles morbos tribuerem. Quo fit, vt Gallicam hanc pestem inter frigidos affectus collocauerim. Sic humana solertia in dies inuenit quod iam inuentis meritò præponi possit. Vidimus in claro viro Martino Chiaues Hispano post modicæ quantitatis haustum (nam in eo periculum primò fecimus) crassam atque sanguineam materiam à naribus descendentem: ita vt propter os quod intermedium est miraremur, quanquam vlcera aliunde vsque ad os penetrantia, à descensu diuerterent. Constat autem Indicas res majori præditas esse virtute, etiam pro qualitatium ratione. Sed de hoc à nobis in libello de Subtilitate dictum est. Nunc autem quoniam ita sit, solum intellexisse sufficiat. Quodque generaliter peregrina medicamenta plus agant: aer autem, atque cibi, ac potus patrij, ad vitæ vsum magis conducunt.

DE OXYMELITIS VSV IN PLEVRITIDE.

AD THADDÆVM DVNVM MEDICVM
EPISTOLA.

QUOD ad me de literis tuis datis ante Calendas Maias scribis, amice charissime, nihil est quod dubites. Si enim perlata fuissent, protinus respondissem. A discessu tuo enim literas nullas abs te accepi, vna duntaxat epistola excepta,

quam primis diebus miseris. Neque aliud continebatur quam quod Assij esses. Id mihi satis esse putavi, scire vbi esses, quandoquidem & tu certò nosse vbi essem. Iam verò de lite quam habes cum illo empirico primum nihil miror, nam tu de re probabili

272 De Oxymelitis vsu in pleuritide.

saltem litigas : at ego de certissimis rebus litigare cogor. Quandoquidem inter ceteros nuper stupidus quidam Mediolani, & paulo melior Thessalo audec dubitare, an in acutis morbis carnes, & oua, & vinum debeamus exhibere? Et de vino certe quod minus offendit nobiscum sentire videtur: de reliquis de quibus nulla est dubitatio, homo turgidus adeo dubitat, vt contrariam sententiam teneat, iugulaturus, vt video, quotquot homines acuto morbo laborantes in eius infœlicem manum inciderint.

Neque illum auctoritas Hippocratis, neque Galeni, neque ratio, neque experimentum potest hunc stupidum hominem à sententia tam absurda amouere. sed cum ancillis & mulieribus de ægri salute miser hic, quamquam plurimas iactet diuitias, consulit. Idem cum audisset ex me abscessum in septo transuerso absque dolore omnino fieri posse exclamauit vir eruditus, hoc nouum esse paradoxum. Neque vnquam apud Auicennam vidisse pleuritidem absque dolore, sed aliquando serius contingere, aut maiorem modo, modo minorem. Atque ita hic vir eruditus (dignus prorsus qui cum lanificis mulieribus cum quibus consilia agit, conferatur) nugatur. Nec animadvertit primum pleuritidem non dici de abscessu in septo transuerso, sed solum in pleura, vel vocato panniculo diuidente pectus, aut de his abscessibus qui in musculis fiunt. Minus verò sapiens vir intelligit quod Auicenna nulli nec in decima tertij, nec alicubi mentionem fecit abscessus, seu apostematis diaphragmatis, seu non nouerit, seu non auderet signa illius ponere. Idem homo cautus non nouit quod GALENVS persæpe ab AVICENNA dissentit. Sed mirum non est in re rara, & quasi illi recondita errasse. nec magis mirum est contendisse acriter, quasi si eruditionis calculus pro censu debeatur. Sed mirum est in victu acutorum morborum adeo delirasse.

Sed quid tu fecisses amice mi, certe acriter pugnasses vt ambo ridiculi civitati fuissetis. Nam & illud mihi testabatur mulier nobilis quam a graui morbo liberaui, cum hunc eundem aliumque iunioris sætis certe eruditum aduocasset, parum abfuisse quin pugnis decertarent.

Quo factum est vt lite per domesticos dirempta vterque dimissus sit.

Non tibi nugæ ago, scis me non solere mentiri. Itaque satis duxi illum cum plebeo ergo (nam ex infima plebe erat hic cui propter amicum operam potius dabam quam ob pecunias) dimittere ridendo, quam apud tam absurdum hominem contentione agere. Nam ego noui semper fuisse multos Thessalos, Hippocratis ætate Gnidi, Galeni, Methodici cum sua diatriddo, Augusti temporibus Themison, vnde Iuuenalis:

Quot Themison ægros autumno occiderit vno. Tu vero demiraris non esse empiricos qui tibi contradicant? Nonne meministi quid Galenus dicat tertio Methodi? Certè, inquit ille, minimam spem habeo propter eum qui nunc regnat bonarum artium contemptum, diuitiarum vero & ciui-

lis existimationis ac potentie admirationem hæc quæ scribo vlli vsui futura esse hominibus. Et alibi in eodem opere: Actum est de medicina hoc nostro tempore, nisi Deus aliquis nobis succurrat. Vide quæ scripsit in primo libro eiusdem, dum docet vocari ad ægros non eruditos, sed amicos atque conuiujs assuetos. Semper omnino in præcivium stetit, vt nihil mireris id genus hominum quod eruditissimis ac nostris præceptoribus non pepercit, nobis futurum inimicum. Causam iam habes, imperitiam inimicam eruditioni, summam ambitionem cum auaritia coniunctam. Vnde quosdam experieris alioquin tibi iure magis infensos, mitiores, quod eruditionis sint participes, quod ego etiam hic Mediolani experior, ita enim quisque mihi amicus est, vt eruditior, tres aut quatuor qui verbis plebem seducunt neque quicquam quod ad artem pertineat norunt, ita aperte de nobis maledicunt, vt qui non norit nos illos esse putet. Quod si quis vera memon neque existimat, in examen ducantur, nam necere rite latine loqui norunt, neque philosophiæ partem vllam attingere, neque rationem artis intelligunt, nec præcepta medendi. Sed sinxerunt sibi quædam commenta, quibus illudant plebeculæ. Sed postquam in hos sermones incidimus, audi rem ridiculam atque suauem. Erat vt scis Alciatus Iurisconsultus, vir omni laude dignus, qui nostram prouinciam nostramque ætatem miris modis tum etiam monumentis illustrauit. Prodis etiam in omni ciuiliu actionum genere, vtque breui pertranseam immensum pelagus laudum suarum, humillima stirpe natus, diuitias, nomen, stipendium, doctrinam, Regum amicitias sibi non vulgares comparauit. Sed hæc omnia ex sorte. Sed præter sortem, vt solus legeret, collegij Mediolanensis societatem & ordinem senatorium, maiora etiã, si non modo curasset, verum non neglexisset, habiturus. Monumenta quæ reliquit diu boni qualia & quæ multa sunt. Hic igitur tantus vir cum ægrotaret vel infœlicissimis medicis, vel omnino imperitis utebatur, nouissime autem ex omnibus qui Papie debebant vnum penitus literarum expertem, sibi delegit inter tot præclaros viros, eumque solum, sub quo mortuus est. Improbabilis consilium viri, at ego probò. Voluit videri, puto, vir sapientissimus mortis ac tantæ iacturæ medicinam non fuisse conscientiam, itaque aduocauit imperitum. Quis enim nouit an vitæ pigeret, vel quod pedum doloribus nimium grauaretur, vel quod se ad summum gloriæ peruenisse sentiret. Atque hæc de causa dicta sint. Quid tandem ad rem dices, vt tibi persuadeam de his nebulonibus minime oportere te esse sollicitum. Nam cum tria sint quæ ad medicum spectant, eruditio, gloria, & valetudo incolumis, nemo mortalium efficiet vnquam vt hæc tria simul assequatur. Nam & gloriæ morbis statim correptus est, & gloriæ sua ætate paruum est consecutus, palam enim est ex ipsius monumentis, tum in primo methodi, tum de præsigio ad posthumum, tum in libello de ordine suorum li-

brorum

De Oximelitis vsu in pleuritide. 273

brorum, non fuisse illum inter præcipuos, sed multos Romæ cum fama antecessisse. Quamquam valeret Galenus non parum artibus Græcis, essetque prædices, & huic rei maxime intentus, nec quicquam illi magis ad studia profuit, quam quod primas partes cum obtinere se non posse videret, desperans ad scribendam legendamque se contulerit. Tuam igitur est horum trium vnum relinquere: atque id tui est arbitrij, omnia hæc retinere non potes. Quod igitur minus est utile aut necessarium meo iudicio est, ut contentiones istas nebulonibus relinquamus, solidæ vero eruditioni insitamus. Quandoquidem iam tu multo spatio processeris in arte, callicæque linguas quæ non solum tibi ornamentum magnum, sed commodum ad egregia inuenta afferunt: tum vero & mathematicas. Desunt vero multa atque præclara quæ maximam utilitatem humano generi afferre possunt, in his, si mihi auscultabis, non in contentionibus versaberis, tum tibi maiorem gloriam apud eruditos præcipue magisque perennem comparabis, Deoque si non fallor, gratus eris, hoc enim est talenta multa non abscondisse. Sed si hoc tibi consilium præbeo, quali mihi præstat uti? an ego in me probabo quæ in te reprehendam? absit. Itaque nisi tua causa esset, ab hoc munere libenter abstinerem. Sed amicitia non parum, officiis vero erga me tuis longe plus condonandum censeo. Mos tibi geratur. Sed video quid dices, Galenus & ipse multa aduersus contentiosos scripsit: Fuchsius etiam, tum alij. Sed Galeno nihil illa profuerunt, imo multa eius vitia monumenta solum ob id interiere: ipse vero logij atros vocatus: nec forsan immerito, homo enim fuit, nullus homo labe caret. Quid Fuchsius egerit hac in parte non curo. Vnum est inclitorum virorum vitia non esse imitanda sed virtutes, vitia autem etiam si in Deo (quod nefas est dicere, ille mihi qui solus ignoscere potest, quique animam meum nouit solus parcat) esse possent, virtutes non essent. Nulla enim maior est contrarietas quam virtutis & vitij. Quo fit ut etiam opus tuum quod mihi mittere velle dicit antequam typis excudatur, hoc solo nomine suspectum habeam: quasi gloriæ excellentis viri videaris inuidere, illud maius accedit quod si probauero, videbor quasi huius cepti autor, à quo maxime non solum absom, sed plurimum satum abhorreo. & tamen scio pugnabis acerrime contra hominem, laudo vigilias tuas, ingenium & eruditionem suspicio, propositum contradicendi à natura mea valde est alienum, tum maxime de bonis literis benemerito. Considera mi Thaddæe, quam pauci nunc sint bonarum literarum studiosi, & longe pauciores qui faueant illis. Multum igitur debere nos sentimus Fuchsi, qui etiam præter eruditionem leporem addidit & breuitatem, ut viuientium scripta cum voluptate legi cæperint. Laudarem Manardum in hoc genere, nisi omnia vir ille miscuisset magno artis damno, hic vero non abhorret à recta medendi via in qua & methodum scripsit, at errauit in quibusdam, sit ita, quandoquidem nesciam nec in quibus nec quo-

modo accusetur à te. Quis est mortalium sine errore? ego patiar si quæ errata in posterioribus editionibus inueneris, nam in prioribus scio multa esse, libenter corrigi. Passus est se Petrus corrigi princeps apostolorum, ego obnitar veritati impudens? absit. Itaque mitius cum illo ages, atque ego, si modo ita vis ut inspiciam, quæcunque illius scripta sunt ad meliorem sensum traham.

Quod si ille non patietur, tuum fuisse inuentum sciet, non meum. Ego nihil nisi ad concordiam inter vos permiscebo. Mallem ut videat certamen ob veritatis inquisitionem, quam iurgium aut contentio aliqua. Speciem habeant auctarum cuiusdam ad rem literariam, non rixæ, aut maledicentia, aut odij vel liuoris: quamquam ab hoc plurimum te abesse putem. Dices ille Maledixit Montuo, Auicennæ, Mesue, Brasauolo: iam dixi vitia clarorum virorum non esse imitanda sed virtutes. Habet linguam latinam satis politam, græcas literas callet, breuis est & minime nugax, & clarus ac ordinatus, Galeni libros sæpius reuoluit, multam habet simplicium medicamentorum cognitionem, multa scripsit, docet libenter quæ nouit, laboriosus homo certe & eruditus. Eos ne imitaberis qui vestem ornatissimam ac preciosam intuentes, nihil inspiciunt nisi maculam paruam, in eam solum omni relicto decore: oculos coniciunt? Deinde non sunt ingenia sua ut Italica. Germanus est, ferocius insurgit forsan quam par est, tu vis illum imitari in vno vitio non, vis vlcisai, neque te, neque me læsit, nec forsan tua improbauit cum viderit, habet impulos hostes à quibus se tueatur, Cornarium, Mathiolum, atque alios. Itaque spero multa & præclara dæte, aueoque quam primum librum tuum videre, ego non emendabo, sed discam noua, omnes enim omnia sciunt, non vnus omnia, maiorque est mihi longe voluptas in discendo, quam in ostentatione. Quid enim ego potero in alia messe diutiusque à nobis excussa, rescribam tamen quoniam ita vis quæ mihi quasi per transfennam occurrent. Sed de his satis, ad rem reuertor. Scribis contendisse te cum Cigalino, ego hominem illum non noui, magisque inter medicos egregios, ut intelligo, quam illos qui eruditione inclatuerint, recensendum puto. Nam neque quicquam scripsit quod emisit, nec professus est publice, nec vertit quicquam, nec tamen quin id, aut ea omnia facere potuerit nego. Sed ut Philosophus ait, non coronantur in olympicis qui vincere potuerunt sed qui vicerunt: omitram igitur de sententia hominis mortui quicquam dicere, quoniam inuidiosum & absque proposito videretur. Claros viros quidam dum recenser odones numerat atque alios incognitos homines. Ego nostra tempestate Fuchsi, Cornarium & Brasauolum audeo ex scriptis claros nominare, quorum scripta plura passimque leguntur. Curtium nisi audissem non auderem his adnumerare. Montanum inter celebres esse aiunt, non nego, non tamen possum affirmare. Scripsisse quædam dicunt, si exhibunt & probantur laude dignus est. Quod vidi ut ex vngue leonem, opusculum, ingenium

274 De Oxymelitis usu in pleuritide.

acre & iudicium ostendit, eruditionem nullam, neque locus postulabat aut admittebat. Et hæc de medicis, nam in philosophia & aliis artibus multos fortasse quis proferet. Hæc volui subiecisse quod nemo autoritate tui iudicis moueatur, deinde quod non probem quasi de litibus agatur & re pecuniaria, hæc iudicia committi viris nisi famosissimis, velut Regio medico Syluio, vel Pharnelio, vel erudito atque probato veluti ex tribus his quos nuper nominavi, aut qui vtrunque gloriam sit assecutus, velut Vresalio. Quæ enim temeritas est iudicium salutis humanæ vni viro penè ignoto committere? Sed fuerit ille eruditissimus, imò ne vni aliorum tantum tale iudicium est committendum. At dicas, quid fiet, relinquatur indiscussum, præstat errare in parte quam in omnibus, plurimi auctoritate virorum plus mouentur, quam ratione. Itaque ne meam sententiam tanquam certam exposcas, sed vt testem in tanto negotio. Senatus super vnius pauperuli vita pluribus diebus disputat, quem fontem tamen esse constat, nos iudicium proferemus quo multi infantes & clari viri periclitabuntur?

Ergo quæstio talis est: An in omni morbo laterali oxymel conueniat? Primum præsuppono, quòd non in omnibus morbis acutis, tertio de victu in acutis, quia non diceret quibus dandum, & quibus non: & infra sæpius, non dicit semper, & infra adhuc docet quibus non conuenit, scilicet his qui erosionem habent in intestinis: ex quo colligo ibi secundum, scilicet quod oxymel non in omni morbo laterali conuenit: patet, quia non ei cui iungitur erosio intestinorum vt ibidem colligitur, hoc autem est ratione coniuncti. Tertium, neque in omni morbo laterali simplici, quia non in mortali, dicente Galeno, quòd quicquid scripsit Hippocrates, de seruandis scripsit, recordantibus nobis quòd deploratos curare non oportet secunda Aphor. Quartum neque semper, quia Hippocrates tertio de victu in acutis, prohibet cum nihil expuitur, hoc autem est, cum est initium morbi, & per totum ferme augmentum, ideo dicit, quod cum non sorbitione pisanæ, sed solo potu vtiuntur, oxymel non conuenit, Galenus non intelligit de ratione temporis, sed vsus atque erroris eorum qui toto morbi tempore abstinebant à pisanæ, hoc innixus fundamento quod in sequenti sectione dicat Hippocrates, quibus igitur toto morbi tempore oxymel conuenire existimaue- ris? Igitur Hippocrates videtur velle quod conueniat in omni tempore. Sed non est ita, Galenusque, seruata tantæ viri auctoritate, hic non intellexit Hippocratem. Hippocrates enim nobis insinuat quòd cum solo potu vtendum est, non conuenit oxymel, tum quia possit excitare tussim cum nihil expui possit, tum quia tormina, quæ postmodum comitantur, frigus extremorum, & virium imbecillitas. Vult ergo quòd in quibusdam morbis toto tempore conuenire possit vel ratione naturæ, vel ætatis, vel virium. Sed neque omne oxymel, & hoc est quintum: nam acre neque conuenit in difficili sputo cum virtus fuerit imbecillis maximè: nec

melancholicis, quia efferuescere facit melancholiam acetum: nec mulieribus, quia veteri dolorem prouocat, iuxta Hippocratis sententiam eo loco.

Quæritur igitur hoc modo restringi debet: An in omni morbo laterali, salubri, simplici, oxymel moderatum, à tempore initij maturacionis vsque in finem conueniat? Pro quo scire oportet primam naturam oxymelitis quod est temperatum, neque excalefacit, nec refrigerat, octauo artis curatiuæ. Secundò lenit ratione mellis pectus ipsum, tertio de victu in acutis. Tertio dissectat, vt ibidem docetur acetum scilicet ratione, an verò nutriat, & est quarta vtilitas, declaratum est à nobis in tertio contradicentium. In morbo igitur laterali cum componatur ex febre & abscessu, requiruntur quæ non calefaciant: nam multa calefacit euidenter, vndecimo artis curatiuæ: oxymel autem non, vt dictum est. Hac igitur prima ratione conuenit. Secundò requiritur vt spiritum possit faciliè educi, hoc autem simpliciter pendet ex lenitate partium pectoris, sed & hoc vt declaratum est præstat oxymel. Lenit enim pectus, igitur hac secunda ratione conuenit. Tertium de quo proprie dubitabat empiricus ille, vt tu dicis, est vtum dissecando semper proficit. Nam cum semper morbus lateralis à bilioso humore fiat, vt etiam Aetius in octauo libro docet, non videtur hic huiusmodi lentus, quare neque dissectione indigere. Ex quo Cigalinus ille, vt dici solet, toto cælo aberrare visus est, quod illud conuenire, vt dicis, in prima eius epistola, existimauit, quando lateralis morbus ex pituita oriatur: cum talis morbus minimè sit lateralis, sed laterali similis, quod etiam sentire visus est Auicenna. De vero igitur laterali morbo qui à bilioso sanguine fit, sermo sit, primum præsuppono quòd de salubri morbo laterali loquamur, vt dictum est, in quo spiritum debet, inquit Hippocrates, esse admodum permixtum ex bile flaua, dicit Galenus & pituita secundo prognosticorum. Permixtio autem fit aut cum est lentoris maximi aut cum pituita excoquitur, quarta aphorismorum, sed & pituita per se lenta est, in hocque quasi ab humore crudo distinguuntur. Galenus octauo de decretis, & sumptum est ex primo de humana natura, pituita omnium humorum est maximè viscida. Aduritur autem & à bile, vt dictum est, & à calore febris, & per se talis est, vt indigeat manifestè dissecantibus. Pus etiam optimum primo de differentiis februm, nonne crassum & consistens esse debet? quod verò consistit lentum est necessario, & ob lentorem igitur, & ob crassitatem puris oxymel conuenit. Nec mirum ob id Erasistratum existimasse aut vocasse humorem crudum pus, scilicet quòd lentore & colore ac crassitie ei similis esset. Qui igitur citra affectum hæc cogitat, faciliè intelligit, cum morbus lateralis spiritum efficit & concoquitur, oxymellis vsum naturæ mediocris vtilem esse. Plura scripsissem de hoc, si per negotia liceret: sed in re tam perspicua maiore commentario opus non est. Vale, Mediolani IIII. Idus Augusti.